



8345.

1616, 6

III.

6

M

Συμ Θεῷ

**DECAS PROBLEMATVM PO-  
LITICORVM,**

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA  
publici exercitij gratiâ ventilanda,

*Præside*

**DN. IOAN. ANGELIO**

**VV ERDENHAGEN PHILOSOPHIAE**

Practicæ Professore Ordinario,

*Respondente*

**G VILHELMO MULLERO**

*Ascanio.*

Ad d. IX. KAL. Xbris in auditorio nouo maiori horis  
consuetis.



**HELMAESTADI,**

Typis heredum IACOBI LVCI,

**ANNO**

**cI cXVI.**

N. 4.

3.

*Icto inclyto*

Dn. VVOLFGANGO Hahnen Consuli, Syndico Halensi, illustrisq; Dicasterij ibidem Directori.

*Amplissimis item & Clarissimis Viris,*

Dn. PAVLO Hahnen / I. V. D. & apud Halenses Ciui Primario,

Dn. LAURENTIO Ghmen / I. V. D. & dicti Dicasterij Halensis Scabino.

*Nec Non*

*Præstantissimo & humanissimo Viro,*

Dn. GEORGIO HILTMANNEN, laudatissimi Archiepiscopatus Magdeburgensis Protonotario.


*Dnn. auunculis, consobrino, & Adfini honorandissimis*

In obseruantiae Symbolum & studiorum Testimonium inscribit

GUILHELMVS MÜLLERVS  
Ascanius Resp.

## I.

*An satius Magistratum habere ambulatorium,  
quām perpetuum?*



V BET verò (quod DEVS benè ver-  
tet) ab hac quæstione præsentem , disputa-  
tionem exordiri: Magnæ circa hanc sunt Po-  
liticorum dissensiones : Non desunt, qui  
ambulatorium Magistratum conuenientio-  
rem existimant ; nec, qui contra Magistratum perpetuum  
potius constituendum arbitrentur , reperias pauciores.  
Vtriusque partis rationes videndæ erunt. Pro ambulato-  
rio militant hæc argumenta. 1. Maior est custodia liberta-  
tis, si magistratus sit ambulatorius, quām perpetuus. 2. Ma-  
gistratus temporarius tollit seditiones inter ciues , quarum  
mater est præmiorum inæqualitas. 3. In quibus continua-  
tur honores, nunquam ad rationes reddendas obligatos se-  
se existimant, quo nomine vituperat Aristoteles 2. Pol. 7. La-  
cedæmoniorum Rempubl. quod in eâ Senatores immunes  
erant à reddendis rationibus. 4. Qui perpetuò Magistratum  
gerunt, rebus suis præesse nequeunt. 5. Qui rerum clauem  
tenent perpetuò, facile insolescunt, & subditos contemnere  
incipiunt. Perpetuus fundatur in his: 1. Crebra Magistra-  
tus mutatio nouis subindè sanctionibus conturbat Remp.  
Et quemadmodum in corporibus humanis crebra victus  
mutatio Medicis non probatur: Ita nec Politici subitaneam  
Magistratus mutationem amplectuntur. 2. Magistratus  
perpetuus conditionem & statum Reipub. sibifacit exactè  
perspectum ac cognitum ; hinc feliciùs eum regere, quām

A 2

tem-

temporarios, qui, cum nondum Imperare didicerunt, fasces  
relinquere coguntur, in aperto est. 3. Magistratus perpetuus  
maiori auctoritate, curâ & sollicitudine præst Reip. quām  
ambulatorius, cum se nouerit fore perpetuum, nec habeat,  
quod contumelias priuatorum extimescat; cum ambulato-  
rius non nisi cum timore ciuitatem administret: Decurso  
namque Imperij tempore ab alijs vicissim expectare cogi-  
tur, si quid antea in alios duriter statuit, quin & improborū  
iniuriæ, quas post depositum Magistratum obuenturas sibi  
certò præuidet, ut contra ius & æquum sæpè decidat, qua-  
si prætorio edicto iubent atq; præcipiunt.. Et plura hīc  
poterant, quæ chartæ angustia non permittit: Conflictus ea  
sine dubio offeret, in quem reiçimus. Quibus verò po-  
tiùs in hac sententiarum discrepantiâ & rationū grauitate  
adstantum? Distinctio docebit: Ea hīc ponitur duplex:  
1. Distinguitur inter Maiores & minores Magistratus; quo-  
rum illos perpetuos esse tutius est: hos verò temporales. 2.  
Inter diuersas Rerumpub. formas: Monarchiæ perpe-  
tuus sit gubernator: Democratiæ ambulatorius: Aristocra-  
tia ex vtroque participet. Imprimis tamen cuiusque  
Reip. consuetudo, ciuium commodum & securitas venit at-  
tendenda.

### I I.

#### *An Peregrini habendi numero ciuium?*

Neque verò desunt, qui peregrinos præmiorum am-  
plitudine & immunitatum magnitudine in ciuitatem alli-  
ciunt, modò vt populosam & refertam reddant ciuitatem,  
modò vt ciues ab exteris erudiantur, paresq; efficiantur vi-  
cinis, eorumque potentia debilior peregrinorum in ciuita-  
tem aduentu & receptione detur; quām plurimi eo nomine  
Peregrinos recipiunt, vt indè immortale nomen ac gloriā  
sibi concilient, quod oppida à se fundata ciuium multitudi-  
ne ac

ne ac rerum omnium abundantia relinquunt post se clara  
ac splendida. Illud an ex v̄su sit Reip. controvētitur. Quod  
non videtur i. Peregrini, in ciuitatem admissi, ciuium mores  
immutant. 2. Ciuium Iura ab exteris receptis labefactan-  
tur: cum quod locusta segeti: Id ciuitati Peregrinus dicente  
Cæsare 3. Pol. 3. 3. Atheniēses aucta ciuitate peregrinos ex-  
cluserunt, ut Plutarch. in Pericl. commemorat, quod Pere-  
grinitatem in urbem inuectam multis creasse infortunium  
didicerant Arist. 5. Pol. 3. 4. Cuiq; in exteris locis minor  
est ad facinus verecundia Cic. lib. 4. Epist. fam. ad Marc. An-  
ne igitur omnino exteri è ciuitate proscribendi? Neque  
hoc dixerim. Possunt quippè nonnunquam in ciuitatem  
admitti: vbi sequentes cautelæ obseruandæ. 1. Si bonæ sint  
nationis & fide digna vitæ anteactæ habeant testimonia. 2.  
Si præter meritum miseri. 3. Si religionis causa patriam reli-  
querunt. Denique 4. si tanta ciuium sit inopia, ut externa  
præsidia appetere sit necessarium.

### III.

#### *Extraneine rerum gubernaculis præficiendi?*

Maximam Problema hoc cum præcedenti habet affi-  
nitatem. Multis hoc ita videtur i. Aditus ad moderanda  
frena Reip. patens exteris æmulationis studium tollit inter  
ciues. 2. Vires Reip. iunctâ exteri potentiam adaugentur. Sed  
contrarium potius sequendum videtur; exinde, quia i. exte-  
rorum ad Rempubl. admissio, est ruinæ & interitus eiusdem  
certissimum indicium. Ut enim, dicente Lipsio, in quam  
domum veniunt vespillones, signum est funeris: Sic Reip.  
labentis ad quam fulciendam adhibentur Peregrini. 2. Pere-  
grini sunt πλεονήκοι. De suâ tantum solliciti sunt crumenâ,  
parùm quid publicè magis prospicunt, curantes. 3. Subditi extra-  
nei Principis sceptrum molestissimè ferunt, neque quisquā  
adeò patiens est, ut eius Rempubl. in quâ natus est & educat<sup>o</sup>,

A 3

curam

euram alienigenæ commissum ferat patienter. IV. Princeps  
Peregrinus à periculis tutus esse nequit, vndè nec subditi.  
V. Regnum sæpè extraneo delatum repudiatur, hinc nouæ  
turbæ, dedecus & ignominia Imperij. VI. Peregrini nouas  
leges inuehunt in Remp. omnia ita, vt in suo solo consueti  
sunt, agi volunt atque componi: Hinc odia subditorum;  
hinc seditiones, hinc haud rarò vniuersi regni euersiones  
prouenêre.

#### IV.

*Sortenē eligendus est Magistratus?*

Ita verò est in electione: Nonnunquam discordibus e-  
ligentium votis duo eliguntur: Neuter alteri generis maie-  
state, virtutis splendore, fortunarumq; abundantia præfe-  
rendus. Hinc quærunt, quomodo res agenda, vt ad alte-  
rum, cum ad vtrumq; non possit, Magistratus deueniat. Sor-  
te dirimendum litigium putatur. Vndè problema hoc con-  
ceptum est; An sorte Magistratus aliquandò possit consti-  
tui? Sunt, qui sortitionem omninò nullam admittendam  
censem; Aiunt cum Cicer. 2. de diuinat. Sortiri propemodū  
idem esse, quod micare, quod talos iacere, quod tesseras,  
quibus temeritas & casus, non ratio, nec consilium valet:  
Totam rem esse inuentam fallacijs, aut ad quæstum, aut ad  
superstitionem, aut ad errorem. Recoquunt illud Aristot. I.  
Eth. c. 9. Extremæ dementiæ esse, id quod maximuni, opti-  
mumq; est, fortunæ committere. Conqueruntur insuper  
peccatos quosque sortitione acquiri, eamq; multis fraudib;  
& imposturis esse obnoxiam. Sed hæc quidem illi. Contra-  
rium autem iubent leges diuinæ, suadent exempla sacrarum  
literarum, ferunt constitutiones ciuiles, probant mores  
& obseruationes gentium. Num. 33. v. 54. Iubet Dominus, vt  
Israëlitæ terram Canaan sorte inter se distribuant Num. 26.  
Iubet Dominus terram benedictam forte partiri Mosi &

Eleasar

Eleasaro. i. Pa. 28. v. 3. Dauid filios Eleasar & Ihtmar sorte superiores constituit i. Par. 25. 26. v. 8. officia in domo Domini filijs Elæasar & Ihtmär subeunda sorte conferuntur. Act. i. v. 25. Matthias sorte ad Apostolatum electus est in locum proditoris Iudæ. Saul sortitione sceptrum obtinuit. Ictus Vlpian. in ll. in tribus 13. & l. Sed cum ambo 14. ff. de Iudic. respondet, si in iudicijs non facilè appareat, quis actoris, quis rei prouinciam suscipere debeat, sorte rem discerni solere. Quod confirmatur l. meminimus 2. post Princ. C. quandò & quibus quart. pars. l. generaliter 24. f. proinde 15. v. fortassis ff. de fideic. libertat. Romæ omnes dignitates per sortem obuenère. Iulio Agricolæ sors quæsturæ prouinciam Asiam dedit. Tac. in Agric. Vespasianus quæstor Cretam, & Cyrenas Prouinciā sorte tulit. Suet. in Vespas. c. 2. Milites etiam per sortem ad prædam vocatos meminit Virg.

Si verò capere Italiam sceptroque potiri

Contigerit victori & prædæ ducere sortem.

Paucis nunc ad contraria respondendum erit: Fortunæ autē arbitrijs regi sortem, quod inquiunt, nec prudentē se illi debere subjcere, cum consilio, nō fortunâ expedienda res sit; facilè diluitur: Neque enim fortuna, sed Deus fortis temperat; Iuxta illud; fortes mittuntur in sinum, dominus verò dirigit eas Prou. 16. v. 33, c. 18. v. 18. Sors contradictiones comprimit, & inter potentes quoq; dijudicat. Et tantū de problemate quarto; accedimus ad quintum, in quo quærimus.

V.

*An quisquam ad Magistratum suscipiendum cogi posse?*

Rarò autem accidit, ut Magistratum delatum suscipere recusat quispiam. Tanta enim plerosque inuasit honorum cupiditas, ut vel cœlum ruere, dummodo ad imperij fastigia perueniant, optarent, tantumque abest, ut oblatum assumere

Nn. No. re  
sortem o  
nare, nisi  
diversi v  
sæducti s  
a sagittis.  
pol. c. 2.  
citra f

mere renuant , vt eundem potius ambibus quasi manibus  
ad se rapiant. Et quamuis nonnunquam ore munera Reip.  
capere se velle pernegent:Eadem tamen reuera magnoperè  
appetunt. Veruntamen quæ ingeniorum est varietas , ac-  
cedit persæpè, vt qui vel maximè ad Remp. gerendam vide-  
antur idonei,eius curam suscipere administrationemque o-  
mnibus modis fugiant, repudient. Deterrentur ob mole-  
stiarum difficultatumque multitudinem & magnitudinem,  
quæ indiuiduè cum Inuidiâ Reip. administratores comitā-  
tur. Cura quippè, non voluptas , imò pœna est regnare,  
Testante Sen. in Thebaid. Neque tam modesta illa felici-  
tas, aut virtus suis utilis mitis extitit , quam non inuidia  
vellicârit:Et miserrima fortuna,quæ caret inuidiâ. Accedit  
summa subditorum ingratia: Nemo vnquam ita iustus exti-  
tit,nemo vnquam adeò benè Reip.præfuit , vt ingratorum  
ciuium calumnias & reprehensiones effugisset. Hac in caus-  
â nimis durè statutum clamitant & crudeliter; In illa nimis  
benignè & clementer. Insigniter sapiunt omnes ante-  
quâ Rebusp.gubernandis adhibentur; Pleriq;,imò maximâ  
parte, postmodù desipere incipiunt. Nullum adeò prudens  
Magistratus Reip.adfert consilium , quod non infinitis ca-  
lumnijs & obtrectationibus arrodatur; Neq; adeò quicquâ  
prudenter statui potest,quod non melius constitui potuisse  
contendant malefici. Merito eapropter quæritur an talia  
præbeant,aliàs idoneo,sufficientem excusationem,& an in-  
uitus ad suscipiendum Magistratum cogi nequeat?Dicimus  
quod omnino possit;idq; ob eam caussâ : 1. Talia, si permit-  
terentur, Resp. gubernatoribus destitueretur. 2. Nisi co-  
gantur ad officia publica ciues idonei , eorundem susceptio  
delapsura ad indignos. 3. Leges sunt in contrarium ; Iubent  
enim,vt, si quis Magistratus creatus munere iniuncto fungi  
detrectet; per præsides ad munus agnoscendum cogatur,  
quibus

quibus Tutores quoq; solent cogi, ad munus, quod iniūctū  
est, agnoscendum Vlpian: in l. si quis 9. ff. de munerib. & ho-  
nor. l. Lucius 21. ff. ad Municipalem. Et ne quidem Patria po-  
testas filium retinere potest, quò minus patriæ cogatur ob-  
sequi. l. honor 14. s. plebei 4. d. t. de hon. & mun. Ad ea, quæ  
à Magistratu quenquam deterrere possent, facile responde-  
tur: I. Inuidiam vlciscēdi in inuidis illis exsurget occasio, &

*Inuidus ut nostris rebus marcescat opimis*

Sedulò orandum. II. Ingratitudinem illam, quin vindicatu-  
rus ingratorum hostis ille infensissimus non dubitandum.  
III. Publica priuatis anteferenda bonis. IV. Nondum eum  
natum sciant omnes , nec posthac vñquam proditurum, o-  
mnib. qui placeat, vel placiturus sit, cū necluppiter siue plu-  
at, siue serenet omnibus placeat. V. Melius est, vt boni etiam  
periculose gerant Magistratum, quàm vt Respubl. corruat  
& pessumeat. Arist. 2. Pol. 3. c. l. quod ad ius 14. ad Trebell. l. l.  
s. generaliter 15. ff. de vent. in posses. mittend: Namq;

*Publica quando perit ; res quoq; priua perit.*

VI. Problema:

*In electione Magistratus Senilis siue Iuuenilis aetatis habenda ratio?*

Properandum nobis est. Ne ad Remp. administrandam  
ante vigesimum quintum ætatis annum quispiam admitta-  
tur, prohibet text. l. ad Remp. 8. ff. de mun. & honor. l. si qui  
2. s. fin. ff. de Iure Immun: Idq; ratione graui ac prægnanti;  
Iuuenile quippè vitium est, dicente Senecâ, ferre non posse  
impetum, & Iuuenilis ardor impetu primo ferit; languescit  
idem facilè, nec durat diu. Non quidem inficiari possumus  
Iuuenes cum laude & admiratione sceptræ aliquandò te-  
nuisse; sed ea tanti valoris non sunt, vt huic ætati , omnium  
præsertim rerum vsu & experientia destitutæ, quæ vel fami-  
liam in gubernatione ducunt, rerump. administratio & cura  
tutò & cum fructu concredi posse, persuadeant. Exempla,

B

quæ

quæ hac in parte proferuntur, sunt ratissima: Eaq; propter in  
Politici parùm attenduntur: cum illi, de his, quæ plerumq;  
fiunt, disponant. Et concessō: Iuuenes aliquandò Reip. causā  
laudabiliter administrâsse: Addendum tamen erit: eos tan-  
dem ita in vno lapsos fuisse, vt exinde irreparabile damnum  
ad Remp. peruererit. Hæc de Iuuentute sufficient: Ad senes  
modò accedem⁹: Neq; ij Magistratus videtur capaces: I. Ho-  
rum quippè ætas risui & ludibrio est exposita: Magistratum  
verò auctoritate & dignitate excellere æquum est. II. Hoc  
vnum vitium sene&tus assert secum, vt nimis attenti simus  
ad rem, quā sat est. Ter. in Adelph. III. Alios rectius iudican-  
tes ferre non possunt: Illi namq; nihil rectum æquumq; di-  
ctum aut factum putant, nisi ipsi quod fecerint. Dubitantq;  
semper quid meliūs, rectiusq; siet. IV. Si quæ delatores mala  
ad illos detulerint, statim credunt, & nonnunquam contra  
delatos, qui nec dixere, nec fecere tale quicquam, grauiter  
& cum iniuria decernunt. Ipsi quæ faciunt, rectane sint, an  
secus, timent: secula præterita vel ad cælum laudibus tollūt;  
præsentia deformi vituperio deprimunt & execrantur: vt  
recte in eos dixerit Cornelius Gallus:

*Stat dubius, tremulusq; senex; semperq; malorum  
Credulus, & stultus, quod facit, ipse timet.  
Laudat præteritos, præsentes despicit annos  
Et tantum rectum, quod facit ipse, putat.*

V. Prudētia, quā cū Reip. inservire debebant, in ijs euanuit,  
& quasi exspirauit. Neq; multos eorum reperias, quib. Plau-  
tinum illud non conueniat; Terræ odium ambulat: Iam ni-  
hil sapit: tanti est, quantifungus putridus.

Satiūs proindè senes ab administratione Reip. abesse,  
quām præesse; Et in eādem regendā si quid effectum dare  
volunt feliciter, Deo statum conditionemq; Magistrat⁹ pre-  
cib. assiduis commendent: Iuuenes eò laborent contédatq;  
vnice,

vnicè, vt aliquāndò Resp. in partib. eius, illis credendis rectè  
gubernari possit, memores illius:

Der Jungen That/  
Der Alten Wundsch/

Der Mitlein Raht/  
Ist selten vmb sonst.

VII.

An ad Magistratum potius Diuites; an Pauperes adhibendi?

Diuites certe potius I. ji quippè amantiores Patriæ, cū  
ex eiusdem interitu plūs detrimenti sensuri sint, quām pau-  
peres, omni studio & curâ, vt salua & tecta maneat Resp. agūt  
& laborant. Quorum verò magis interest Remp. manere in-  
tegram, ab ijs eandem regi & administrari iubet Aristot. 4.  
Politic. 12. 5. Pol. 9. Dn. Arnisæus lib. I. Pol. c. 14. II. Omnes  
diuites respiciunt & venerantur: Pauperes contemnunt &  
aspernantur: Nihil autem perniciosius est Magistratui; quā  
contemni. Lips. 4. Pol. c. 9. Nihil magis ornat Magistratum,  
atq; obseruari & honorari. III. Diuites Magnanimi sunt, nec  
facilè quempiam pertimescunt: Pauperes timidi sunt, nec  
satis animi habent ad imperandum. Arist. 4. Pol. c. 11. IV. Di-  
uites suis facultatib. Reipubl. necessitate vrgente, subuenire  
possunt; Quā ratione sæpè integrum ciuitatē seruatum esse  
probat Clarissim. Dn. Arnis. d. I. Pauperes nō item: cum nec  
vndē sibi viuāt, habeant. V. Paupertas suspectos facit Magi-  
stratus: quia periculum est, ne manus rebus alienis inferant.  
Egentissimo enim omnia cum precio honesta sunt Salust:

— & contemnere fulmina pauper

Creditur, atq; Deos Dīs ignoscētibus ipsis.

Magnum pauperies opprobrium iubet

Quiduis & facere & pati,

Virtutisq; viam deserit arduæ.

Hor. l.3. Carm. Od. 24.

V. Rei domesticæ angustiâ pressi communem salutem pro-  
mouere non possunt. Dum enim vel maximè Reip. operam

& opem tulisse æquum erat, illi de victu sibi suis q; quærendo sint solicii oportet. IIX.

*An Iudæi in rebus p. Christianorum ferendi?*

Indè vsq; ab vltimâ vrbis Hierosolomitanae vastatione quæstionem hanc acriter agitarunt Politici, an Iudæi in rebus p. Christianorum ferendi? Sunt, qui aiunt; Sunt qui negant. Illi, tum propter insignem & omnibus modis detestandam blasphemiam, quâ quotidiè petunt caput & fundatum Christianorum, tum propter artes eorundem fœnatorias, quibus subditos bonis & pecuniâ emungunt, Iudæos è republicâ proscribunt penitus. Hi tolerari posse autumāt. I. quia misera hæc gens magis in se misericordiam & commiserationem quam odium & indignationem commouet, cum in tanta Euangelij luce videns non videat, & intelligens intelligere nequeat. II. Exempla sunt iræ D EI aduersus peccata & securis ad pœnitentiam incitamento: Si enim hoc factum in ligno viridi, quid expectandum arido? Verum enim verò non quidem Iudæi facilè in Rempubl. sunt recipiendi, neq; studiosè in illam aduocandi, tantum abest, vt lucri caussa hospitium illis concedendum, sed tamè sequentibus conditionib. ferri possunt. I. Si secundum ius in istâ Rep. vfitatum pacificè & tranquillè viuere cogantur. II. Si inter Christianos & Iudæos sit contentio non à seniorib. Iudæorum, sed ab ordinarijs iudicib. dirimātur. I. si quis C. de Iud. & cælic. III. Si, cum Christianis matrimonium ne contrahant, prohibentur, quippè matrimonium inter Iudæos & Christianos contractum habetur adulterium I. ne quis Christianam 6. C. eod. IV. Si immoderatæ usuræ alijq; illiciti contractus illis interdicantur. V. Iudæi à publicis munerib. pellātur. VI. Si dispari à Christianis habitu vtatur. VII. Synagogas ne extruant interdicatur. IIX. Ne homines veræ religionis ad suum schisma persuadere aut trahere audeant, vetentur.

vetentur. Quod, si attentauerint pœnam sanguinis subeant iuxta l. Si Iudæus 18. C. d. t. 20. Nec IX. Christianam fidē maledictis & iniurijs impunè lacerent, prohibente etiam Imperatore in l. Iudæos n. C. d. t. His ita obseruatis Iudæi in rep. tolerari possunt, nec ex eadem exterminandi ; Accedit, quod, Christianorum diæcesibus planè eieci ad Turcas & alios nominis Christiani hostes emigrant, ijsdemque omnia nostratum consilia aperiunt, vti notat Camer. Cent. I. hor. succis. c. 89. ad centum millia Iudæorum vtriusque sexus ad Turcas diuersis temporib. migrâsse. Et addit: Memoriæ traditum est, Turcium Imperatorem dicere solitum, se mirari Christianorum Regum stoliditatem, quod tantam multitudinem, quam, si non interficere voluissent, attamen, mancipiorum loco, ad vtilia & idonea seruitia præstanta seruare poterant, potius in propriam perniciem expellere, atque ad suum emolumentum retinere maluerint, iuxta illud Horatianum :

*Vendere cum possis captiuum accidere noli  
Seruier utiliter.*

Et certè maximè notabile, quod de Iudæis hic subiicit Camerarius : Eos videlicet primùm ad Turcas tam varia artifacia, & perfectiorem usum machinarum bellicarū aliarumq; rerum, pertulisse, quibus antea barbara ista gens destituta erat & ignara. Quod, cum quanto Christianorum incommodo & detimento factum sit, facile est animaduertere.

I X.

*Vtrum plures consanguinei simul in eadem republica ferendi?*

Ex re Reip. non esse maximæ famæ Politici contendūt, vt ad munera publica consanguinei simul plures in eadem rep. adhibeantur, idq; ex haec ratione, ne conspiratione illorum vota cæterorum superentur, aut præuertantur, nec vincat sententia melior, sed quæ plurium calculis compro-

B 3

*ad munera adhibeantur  
vid. in loc.  
lit. s. fol.  
970 dñ  
est à 200  
batz*

bata est. Dn. Arnis. li. l. Polit. c. 14. m. f. 340. edit. prior: Quod, nescio, an ita. Quippe conspiratio eiusmodi non speranda in viro bono, cum nec con spirationis in virum bonum cadat suspicio. Nihil itaq; interest, ad vnius Reip. gubernationem plures simul adhiberi consanguineos, modò alias probatæ sint fidei, famæ, & vitæ. Et demus sanguinis glutina coniunctos simul rerum clauem tenere non posse, annò sæpe virtus suo præmio & resp. suis gubernatorib. haud rarò esset caritura?

X.

*An Tyrannicidæ sint excusabiles?*

Verè equidem Plutarchus: Nihil rarius Tyranno sene. Et reges consenescunt liberisq; ac nepotib<sup>9</sup> tradunt regna: Tyrannorum execrabilis breuisq; potestas est. Sen. 5. de Clement. Quippe Tyrannis subiecti eò omnes suas defigunt cogitationes, vt Tyrannicum iugum excutiant, & Tyrannū quò citius, eò melius dent internecioni. Excitat hoc in nonnullis Patriæ libertas, quam à Tyranno labefactari, imò planè non nunquam tolli animaduertunt. Alij iniurias sibi suisque à Tyranno illatas vindicaturi eundem è medio afferre laborant. Quidam porrò eapropter Tyrannicidium suscipiunt, vt, Tyranno sublato, ipsi imperij fauces adipiscantur. Quæcunq; tandem caussa ad diluendum Tyrannum illos alliciat, maxima difficultas est, eos, qui magno ac forti animo Tyrannum occidere constituerunt, à proposito Tyrannicidio dimouere, si propositi consciū, quem metuere oporteat, habeant neminem. Quæritur hinc non inconuenienter, an excusationem iure mereantur Tyrannicidæ, vt iustè Tyranni cœsi dicantur? placet adfirmatiua non paucis: Neque ea sine ratione: I. Ei namq; meritò fauendum, qui pro libertate & incolumente Patriæ pugnat, & abominandum Tyranni iugum excutere laborat. II. Nulla pinguior Deo potest manari

Etari victima, quam Rex iniquus Sen. in Herc. Iur. III. Iustus  
est metus, cui resistere omni iure licet. Et plura alia hanc  
muniunt sententiam, quae ab alijs alibi latius explicantur.  
Properandum nobis est: Accedimus ad eos, qui negatiuam  
defendunt: Præcipua autem horum fundamenta sunt haec:  
I. Nulli priuatorum licet Magistratui, vt potè diuinæ ordi-  
nationi resistere, tantum abest, vt cuiquam aduersus eundem  
arma sumere, è medio tollere sit cōcedendum. Epistol. Iad.  
v. 9. 2. Pet. 2. v. II. Pro quo quis magistratu, etiam impio,  
fundendæ preces. I. Tim. 2. III. Exemplo illis sit Daud, qui  
Tyranno Sauli violentas manus inferre noluit, vbi vel maxi-  
mè poterat, I. Sam. 24. v. 8. 26. IV. Exemplo Pauli, qui nec  
verbis Sacerdotem lædi debere innuit Act. 23. v. 5. vtpote cū  
omnem Magistratum à Deo ordinatum idem sciret Rom. 13.  
v. I. Quod & Petrus comprobat I. Epist. c. 2. v. 13. Sed cui nam  
potius adsistendum? Distinguenteribus apparebit. Tyrannus  
duplex constitui solet. I. Tyrannus absque titulo. II. Ty-  
rannus exercitio. Tyrannus absq; titulo dicitur is, qui sine  
iusto titulo, vi, fraude & technis imperij sceptræ nactus est;  
Et hunc, quidem si quisquam interficerit excusari omnino  
& potest, & debet. Tyrann⁹ exercitio definitur ille, qui qui-  
dem legitimâ successione, aut electione regnum acquisiuit,  
sed tamen Tyrannicè illud administrat. Isq; vel recognoscit  
superiorem; & dum ei medijs ordinarijs resisti potest; nec  
opus est tam abominando facinore salutem Reip. quæri: vel  
non recognoscit, & is, si fuerit interemptus nullam habet  
Tyrannicida excusationem. Et haec in præsentia suffi-  
ciant. Tibi Deo O. M. sit laus & honor in  
infinita secula.

F I N I S.




Kelner Stedt, Diss., 1616-19




MW 1+13+23

1017



# Farbkarte #13



8345.

1616, 6

III.

6

M

z.

*Decas Problematis Politicorum,*  
IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA  
publici exercitij gratiâ ventilanda,

*Præside*

DN. IOAN. ANGELIO  
VERDENHAGEN PHILOSOPHIAE  
Practicæ Professore Ordinario,

*Respondente*

G V I L H E L M O M V L L E R O  
*Ascanio.*

Ad d. IX. KAL. Xbris in auditorio novo maiori horis  
consuetis.



HELMESTADI,  
Typisherendum IACOBI LVCI,  
ANNO  
cI cI cXVI.

N. A.

3.

